



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Constantia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

ab ipsa pelta trames coloris ejusdem ad rubrum usque ambitum protenderetur, ejus ordinis erat insigne, qui SAGITTARIUM SENIORES ORIENTALES appellabantur. Militabant ii sub magistro militum Praefentiali nuncupato.

SECUNDI THEODOSIANI. CAP. XVIII.

Luteus etiam Equus erat in imo parmæ ferrugineæ colorationis, cujus umbilicus albus rubro continebatur circulo, quem alter coloris lutei circuibat. SECUNDORUM THEODOSIANORUM hic erat clypeus, qui sub eodem militum magistro stipendia faciebant. Hi nimirum Theodosii principatu in militiam alleciti.

CONSTANTIA. CAP. XIX.

Rat & alia legio, quæ rutilum Equum in cærulea parma gestabat, in medio viridis orbis constitutus, cui quadrupes toto inniti pectore videbatur. ea CONSTANTIA nuncupabatur, quæ sub magistro peditum merebat: Constantio quippe Principe instituta.

IMMODERATUS IMPETUS. CAP. XX.

Res ipsa adhortari videtur, ut & historiarum sacrarum mysterium, quantum ad Equum pertinet, revelem. Nam pro immoderato & rationis experte impetu Equum poni apud Legislatorem Moysen, ex eo manifestum est, quod non designari principem Equorum educatorem dicit, quod ita capiendum est, ex Philonis sententia, ut ineptum eum ad principatum existimemus, qui voluptatibus cupiditatibusque & nequitia deditus stare loco nesciat, & frenas ferocis spumantia mandat. Lex ipsa est Deut. c. 17. *Quique rex fuerit constitutus, non multiplicabit sibi Equos, nec reduci populum in Aegyptum: Equitatus numero sublevatus, praesertim cum Dominus praeceperit vobis, ut nequaquam amplius per eandem viam revertamini.* Nam qui talia mente concipit, effrango illi & feroci Equo similis est, de quo vulgatum adagium, *Secede Equinis à pedibus procul*, ab Equo, inquam illo, qui semper Aegyptum, hoc est, voluptatum & illecebrarum planitium appetit insultare: quocirca frenis catenisque compescendus est, nisi velimus in perniciem rapi, & nosmetipsos una cum fortunis dare praecipites. Nam, ut optime ait Euripides, *ἀχαλῖνον σφιδάταιν, ἀνδρὸς τ' ἀφροσύνας, τέλει δὲ θυροῦσα*, *Infrans oris, ex legisque dementia finis infortunium.* Saepè autem in Divinis literis Equus aberrantem & vagum hominem indicat, qui sine ratione ulla feratur, ut, *Fallax Equus ad salutem, & Nolite fieri sicut Equus & Mulus, quibus non est intellectus.* Callidum verò Antisthenis dicitur, cum Plato vehementer laudaret Equum in pompa quadam Equestri hinnitu crebro ferocique excelsos spiritus praeseferentem, is qui hominis jactantiam libenter incelebat, *At tu, inquit, videris bonus Equus evasurus.* At Themistocles, cum mutatos ejus mores ex procacissimo in maximè temperantem plerique admirarentur: *Annon, inquit ille, videris asperos & indomitos pullos in optimos Equos evadere?* Non imprudenter itaque Prudentius elationem animi describens ait:

Foris per effusas inflata Superbia turbas Infrani volubat Equo,
NEQUITIA IN TEMPERATIAM VERSA.

CAP. XXI.

Quod vero super Aegypti delitius dictum. D. Ambrosius ex Apostoli dictatis, eo tempore ait Pascha celebrari quo Israelitici Aegyptum reliquere, solennitatemque eam, animarum transitum interpretari, à vitis ad virtutem, à corporis affectibus ad animi constantiam atque sobrietatem, à malitia nequitiaque fermento, ad veritatem & stabilem sinceri propositi firmitatem: mollitiem quippe in Aegyptiis, & alia multa carpit Hadrianus, maximeque optare videtur, ut melius esset morata civitas, Alexandriam notans. Legitur in libris Sibyllinis, *MILES ROMANE AEGYPTUM CAVE.* Quod licet de Pompejo Magno dictum interpretati sint multi, sollicitique aliquando Romani fuerint ne Ptolomæum armis in regnum restituerint, hac religione deterriti: alia tamen, eaque longè verior ejus oraculi videtur interpretatio, præceptum scilicet de illis hoc velamento, ut quibus datum esset imperio populos regere, Aegyptum caverent, quippe delicias & mollitiem, eaque omnia quæ mox fortissimum id genus hominum ut primum lascivire coepit, turpiter adeo effeminarunt, ut pestum

*Virg. En.
lib. 3.*

Pl. 33. & 32.

*In Pscho-
machia.*

*Aegypti de-
litiæ.*

*Uz Cicero
lib. 1. Epi-
stolarum.*